

didit, quod tradidisse tam certum est, quam certissimum: *Resipiscite, & credite Evangelio.* Marc. I, 15., *Facite fructus, qui deceant poenitentiam* Matth. III, 8., exempla Christi & Ioannis Baptistae, sine dubio omnium praestantissimorum Reformatorum vestigia legit, in quorum methodo reformandi nemo aliquid jure desiderare poterit. Et revera Angelus ille Apoc. XIV, 6. per *μεσσηνιμα* volitans fuit, qui aeternum evangelium & veram doctrinam de poenitentia & fide justificante annuntiaret, quod ut contra eosdem Novatores propugnemus, ipsa res nos urget & impellit. Per *Papatus animam* quid fanaticus intelligi velit, assequi non possum. Meo quidem iudicio, nervus omnium errorum & abusu per Pontifices Ecclesiis immissorum optima ratione dici poterit *praesumpta infallibilitas*, quam Romana sedes sibi vendicare voluit. Si vero Novatores aliter sentiant, videant quaeso, ne nubem pro Junone amplectantur, & nonnullorum hodiernorum Pseudo - Politicorum more Papatus animam in honore ministerii qualicunque, etiam cum aliquo dominio non conjuncto, positam esse existiment. Lutherus aggressus est fundamentalem Romanae Ecclesiae articulum, quem oppugnando & destruendo omnia peregit, quae a bono Reformatore requiri poterant.

§. V. Quod veritate impulsus, quamvis cum inepta restrictione fatetur *der im Göttlichen entbrannte Christliche Elias* p. 24. *Lutheri Tichten, Trachten, Thun und Leben gieng nur dahin, die Menschen möchten doch der Schrift glauben, und darnach lehren und leben, wohl wissend, wer solches thun würde, der würde schon weiter kommen, daher drang er nur darauff, daß dem Pabst dadurch Abbruch geschähe, so wir nur die Schrift zum freyen Brauch beielten.* Fatetur ita in his, Lutheri Reformationem eo spectavisse, ut per eam hominum animi & vita & doctrina emendari possent, quod si Lutherus, teste fanatico ipso, praestitit, quid adhuc praestare debuit? forsitan homines